

# 7 Disp.I. Partit.I. de Obiecto Physicæ.

8

*probantes,*  
quod corpus  
naturale sit  
obiectum Phy-  
sicæ.  
*Prob. primi.*

**primo :** Illud est verum, & formale obiectum alicuius scientiæ, quod habet conditiones re quisitas ad esse obiectum: sed huiusmodi est corpus naturale in Physica, ergo est obiectum Physicæ; Maior patet, minor declaratur: Conditiones principales, ut aliquid sit obiectum scientiæ sunt, vt de eo supponatur, quod sit. **Secun-**  
**do :** Ut habeat principia falso cognoscendi, & passiones obiecto demonstrabiles per principia. **Tertio :** Ut adæquerit scientiæ. **Quarto :** Ut neque excedat, neque excedatur à scientiæ: sed ha reperiuntur in corpore naturali respectu Physicæ: Prima quidem, nam Aristoteles secundum Physicorum definit corpus naturale, ergo sup ponit ipsum esse: quando enim aliqua res definitur, supponitur esse, Secunda item, in secundo enim Physicorum Aristoteles varia ponit principia cognoscendi corpus naturale, utpote definitionem corporis naturalis, definitionem na turæ, & huiusmodi, quod verò corpus naturale habeat passiones, colligitur fatis ex ijs, quæ dicuntur in sex libris ultimis Physicorum. Tertia quoque conditio manifesta est, nam nihil consideratur in tota Physica per se, & primario, nisi quod habet in se principium motus, & quietis, vt ex processu patebit, item quodcumque habet in se principium motus, & quietis, consideratur à Physica, ergo corpus naturale, quod nimurum est principium motus, & quietis, est obiectum adæquatum, & formale Physicæ.

*Secundus.*

**Secundo:** Illud est obiectum Physicæ, quod moueri potest, sed solum corpus potest moueri, ens autem, quod non est corpus, non potest moueri, ergo corpus, non verò ens est obiectum Physicæ. Maior patet: Minor probatur: Materia, & forma non possunt moueri, quia ex Aristotele tertio Physicorum Textu ostendit, illud, quod mouetur, debere esse actu, at materia, & forma separatis sumptu nō sunt actu, ergo non sunt mobiles. Confirmatur: Terminus à quo non mouetur, sed materia est terminus à quo, ergo non mouetur, item materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo non mouetur.

*Tertius.*

**Tertio :** Nulla scientia probat de suo obiecto formalis, & priori, quod sit, sed mobilitas probatur a priori in Physica quod sit, ergo mobilitas non est obiectum formale Physicæ. Maior patet, minor videtur quoque evidens, nam prima proprietates demonstratur a priori in scientia, mobilitas autem est prima proprietatis Physicæ, ergo &c. sic enim demonstrabo mobilitatem: habens principium internum motus est mobile, at corpus naturale habet principium internum motus, habet enim materiam, & formam, ergo corpus naturale est mobile.

*Quarto.*

**Quarto :** Nullum ens per accidens est obiectum adæquatum, & præcimum alicuius scientiæ: sed corpus, aut ens mobile est aggregatum per accidens, quia mobile, aut mobilitas est ali quod accidens; corpus autem est substantia, ex substantia verò, & accidente resultat unum ag regatum per accidens.

*Quinto.*

**Quinto :** Si ens naturale, aut ens mobile est obiectum Physicæ, Physica subalternaretur Metaphysicæ, quia ea est scientia subalternata. quæ addit supra obiectum subalternantis differ entiam accidentalem: sed naturale, aut mobi

le addit supra ens, quod est obiectum Metaphysicæ, solam differentiam accidentalem, cùm enim naturale sit quid inferius ente, nec fluat ab eius principijs, erit quodammodo differentia accidentalis entis, quod si ita sit, Physica erit sub alterata Metaphysicæ.

**Sexto :** Si ens naturale, aut mobile est obiectum Physicæ, Physica est pars Metaphysicæ, quia cùm Metaphysica considereret ens, debet etiam considerare species, & diuisiones entis, ens autem dividitur in naturale seu mobile, & in immobile, ergo cum Metaphysica agat de ente, aget etiam de ente naturali, quod habet in se principium motus & quietis, sicut Physica, & Metaphysica forent vñica scientia.

## CLYPEVS TERTIVS.

Diluuntur Thomistarum rationes ens mobile pro obiecto Physicæ aſ signantium.

**A**d primam dic loqui Aristotelem à posteriori. id est, quod Physica considereret substantias sensibiles, quæ de se sunt naturales, cognoscuntur verò a nobis faciliter ex eo, quod sunt sensibiles.

**Ad secundam** dic eam esse veram de eo, quod comprehendit præcisè, & non excedenter, ens autem non comprehendit præcisè, sed excedenter Physicæ, dum verò instant de materia, & forma dictæ non esse mobiles de se, sed tantum ratione compositi, cui insunt, vnde nega omnia reduci in Physica ad ens mobile, vt ad obiectum proximum.

Varij varij ad tertiam respondent: Egidius enim, & Iandinus dicunt hanc esse malam consequentiam, Aristoteles probat omne mobile esse corpus, ergo probat corpus mobile esse; debet tamen esse vera consequentia, vt dicta ratio probaret intentum, nec enim est idem probare, omne mobile esse corpus, & probare corpus mobile esse; alii dicunt quod probabit Aristoteles sexto Physicorum, omne mobile esse corpus contra Democritum, non verò probavit mobile esse corpus, vt stabiliret corpus esse. Dicunt alii, quod probabit Aristoteles mobile esse corpus per propositionem de tertio adiacente, & non de secundo, id est probavit mobilitatem inharrere corpori, respondent denique concideendo in sexto Physicorum, probari, quod omne mobile per se sit corpus, sed hoc non est probare corpus mobile esse, quia corpus mobile esse est per se notum ad sensum, ista enim proppositio, corpus mobile est, evidens est, de ista verò dubitatur, omne mobile est corpus, nam Angelini sunt mobiles, & tamen non sunt corpora.

Ex quo etiam patet responsio ad illud argumentum Caietani, quod patet Aquarius de monstratiuum, sic autem se habet: Nullum coniunctum, cuius de omni coniunctio probatur in aliqua scientia, potest esse subiectum adæquatum illius: sed corpus mobile est coniunctum, cuius de omni coniunctio probatur in Physica, ergo corpus mobile, aut naturale non potest esse subiectum Philosophiæ naturalis, concessâ enim maiore

Num. 4:  
Soluntur  
rationes Tho-  
mistarum.  
Ad primam.

Ad secundam.

Ad tertiam.